…cas Stanisl. Kortka

Declos Jos. Antonius Mausoleum immortalis gloriae

MAUSOLEUM
Immortalis Gloriæ
JUNOSSIO AGNO
Ferreô Fatorum Stylô
ad Posthumam sæculorum memoriam
EXCISSUM.
Atq; dum
CELSISSIMI olim PRINCIPIS,
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
D. ANDREÆ STANISLAI KOSTKA
Comitis in Załuskie, Okęcie, Koziętuły,
ZAŁUSKI,
DEI & Sedis Apostolicæ Gratiâ, EPISCOPI Cracoviensis,
DUCIS Severiæ, EQUITIS AQUILÆ ALBÆ,
Studii Generalis Universitatis Cracoviensis,
CANCELLARII FAVENTISSIMI,
Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani FUNDATORIS,
In Basilica Cathedrali Cracoviensi,
mortales Cineres pompâ solenni tumularentur
è voto Studii Generalis Universitatis Cracoviensis
Dolenti calamô
PER
M. JOSEPHUM ANTONIUM
DECLOS,
Sacræ Theologiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM,
Ecclesiarum: Collegiatæ Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam
CANONICUM, ibidemq; Ordinarium Festorum SALVATORIS ac
B. V. MARIÆ CONCIONATOREM, Parochialis in Nasiechowice
CURATUM.
DELINEATUM.

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS.

Aurea fulserunt Te Principe sæcula PRÆSUL,
Testantur Patriæ, Te Pia facta Patrem.
Virtuti Imperium si par Tibi fata dedissent,
Tot meritis unus vix satis Orbis erat.
Stroż: Pat: in Epitap:

Ista sepulturæ fata beata Tuæ.
Proper: Libr: 2.

Aere non vacuo pendentia Mausolea,
Laudibus immodicis præco sub astra ferat.
Martial: in Amphit: Cæsar:

Ipse Aries. - - - - - - - -
Novis lætus stellis & vellere dives
Hoc solium sibi constituit - - - - -
Dum rerum generi atq; hominum, dum consulit Orbi
Hôc olim dominante novi sub origine mundi
Et felix ætas & libera sæcla fuere.
Jovian: Pontan: Uran: lib: 2.

Hunc chartis, famæq; damus, populisq; loquendum
Martial: lib: 5.

Ut Nomen toto spargat in Orbe suum
Idem lib: 6.

Mors in momentis vitæ scrupulosa, prodiga in Monumentis.
Bieżano: in Mausol: Reginal.

Perennaturæ nomina porrigunt memoriæ, ipsaq; fata Thronum Illis gloriæ exstruunt, qui vitam pro bono Publico devoverunt.
Lipsius.


IHS
Ecclesia
Polonia

CELSISSIMÆ & ILLUSTRISSIMÆ

DOMVI ZAŁVSCIANÆ,

necnon

Mæstissimis ultimæ voluntatis Celsissimi olim Principis

EXECUTORIBUS

Dominis Mecænatibus Amplissimis.

IMmortalis gloriæ Mausoleum, ferreô à Fatis Stylô JUNOSSIO elaboratum AGNO, non ideò Tibi Celsissima & Illustrissima ZAŁUSCIORUM Domus, atq; Vobis Amplissimi ultimæ voluntatis defuncti PRINCIPIS PRÆSTITES Jagelonica præsentat Pallas, ut infandum in cordibus Vestris renovet dolorem, verùm ut in facie Vestra eundem contestetur affectûs candorem, quô erga suum olim faventissimumferebatur CANCELLARIUM. Merebatur PRINCEPS hic Celsissimus primos semper in vita ab Orbe Literario honores, meretur & mortuus pro sua in Literatos benevolentia perennem gratitudinem, qui cum omnium corda ad æviternum sui traxerit amorem, non jam inter ferales

 morta-

mortalitatis ſuæ Exuvias, triumphales Coloßos, ſed aliquot Typographicis Columnis exſtructum recipit Mauſoleum, ut & illius Nomen, & totius Domûs Veſtræ Illuſtriſſimæ Honor, in memoria vigeat ſæculorum. Exiguô quidem Syllabô Pontificiæ ſunt in illo exaratæ laudes; **Principis** *tamen ac* **Veſtræ** *magnitudini nihil derogari poterit, dum tam Præſulis hujus virtutum & meritorum Majeſtas, quàm totius Domus Veſtræ decor in Apogæo ſemper gloriæ & honoris exiſtat. Verba hæc aliquot collecta pagellis Mauſolei referentia formam ad Vos devolvuntur; parentheſes potiùs quàm periodi, quia fatalis doloris ictu interruptæ, optant apud Vos aduṅari, ſenſus oratorii planè exanimes, ſibi dari ſpiritum & vigorem à Veſtro intendunt Patrocinio. Vos pro innata Vobis benevolentia addite pondus verbis quæ graviter dolentium explicant ſenſus, ſuſcipite in Veſtram cuſtodiam non tantùm hoc Mauſoleum Veſtro* **JUNOSSIO** *erectum* **AGNO,** *verùm & devota Palladis Jagelonicæ in Auguſtos Celſiſſimi Principis manes ſtudia, quæ ita ſe magnis Cineribus in reverentiam ſubmittit, ut & Veſtro ſimul Nomini & Honori devinctiſſimam ſe eße fateatur.*

MAU-

MAUSOLEUM
IMMORTALIS GLORIÆ
Ferreô Fatorum Stylô
JUNOSSIO AGNO
Ad poſthumam ſæculorum memoriam,
EXCISSUM.

Adeſte huc docti Phidiæ!
Adeſte ingenioſi Praxiteles!
Vosq; ſubtiliſſimi Policleti adeſte!
novum in Orbe miraculum ſpectaturi.
En invida vitæ humanæ fata,
rebus inimica ſecundis,
quæ Trabalibus Rhodiorum columnis,
limitaneum pridem non plus ultra poſuere,
quæ poſthuma cum ſuis Operariis humare opera,
Purpuras in ſyrmata, palmas in Cupreſſos,
Currus triumphales Æmilianorum
in Sarcophagos mutare nôrunt;
jam ſuam deponunt ferociam,
& Novum Architectonicæ artis exordiuntur opus.
dum JUNOSSIO AGNO,
poſt feralem vitæ occaſum,
Mauſoleum gloriæ immortalis,
ferreô ſuô elaborant Stylô.

A O admi-

O admirandam rerum Metamorphoſim!
Alibi adunca ſævæ Libitinæ ſalx,
omnia proſcindit,
omnia in minutas diſſecat partes,
cineriq; inſepelit doloſo,
Nunc in PRINCIPUM Aulis.
Omnem à ſe reijcit arrogantiam,
in JUNOSSIUM non ſævit AGNUM;
ſed Illum in ſede perennaturæ locat famæ.
Novit perbellè ſæva Atropos,
quòd AGNUS Hic,
nulli corruptioni obnoxius eſt,
Cui cùm æterna ſit inter ſidera ſedes,
Eundem atra obvolvere caligine non audet,
aſt Illi triumphale Gloriæ Mauſoleum erigit,
ut fama Ejus æternum duret in Ævum.
Et licèt Eidem temporalem ademerit vitam,
dat meliorem, quia beatam,
nullo præterlabentium temporum motu perituram.
Architectonica utitur arte,
ne novum Illi ex ſe deneget, immortalitatis artificium.
Hinc videndum eſt:
quòd nihil ſit adeò malum,
quod interdum prodeſſe nequeat;
ex vulnere plerumq; vita venire ſolet,
ruinarum cumuli
ſæpe ſæpius ſolenni Metamorphoſi
in excelſum ſolium abeunt.
Ferrea Mortis rigidæ falx,
licèt plurimis maneat nociva,
his tamen in amicum exaſciatur telum,
quos videt meritis ac probitate conſpicuos.

Unde extra Paradoxum esto;
quòd illustribus eminere factis,
ac glorioso ultra genium Orbis assurgere opere,
Idem est:
ac superba deprimere fata,
& ab illis non deprimi.
Vera semper Gloriæ immortalis Majestas,
ab excellentia agendi procedit.
nec aliud Mausoleum altiùs fatîs assurgit,
quàm illud, quod benefacta Cœlo tenus attollunt.
Non Genus Illustre, sed genus agendi sublime
fatorum potentiam devincit,
nec fundamentalior est constructio gloriæ,
quàm per sola verba activa.
Aliàs:
Ille Stylus est optimus Magister dicendi,
qui in Vita Fabrum, egit meritorum.
Famaq; vocalis
tot lingvis, quot pennis prædita,
clarissimum illius buccinat Nomen,
qui in Theatro vitæ,
non mutam scenam repræsentat,
Ipsa atrox Libitina,
licèt aliis proterva, aliis inimica sit,
emeritum nihilominus Caput lædere non audet:
quæ soli Corpori intenta,
spiritum rectefactorum fugit,
dum illum de mortali corpore fugat.
Non obfuscant funalia,
claritatem famæ ejusmodi,
cujus Majestas ut sublimiùs elevetur,
ipsi cineres, tumescunt ei in Olympos.

Qui novit illustribûs, clarere meritîs.
Hunc etiam densior mortis illustrat umbra,
huic Urna sepulchralis in Mausoleum
Gloriæ immortalis erigitur.
Sepulchrale marmor,
triumphales ex se elicit ignes
ac in lucis æternæ accrescit mensuram.
Hujus gloriæ immortalis, adeptus est Thronum
Lechici Orbis Sol fulgentissimus,
Ecclesiæ unicum Decus & Præsidium.
Celsissimus Princeps
Illustrissimus Excellentissimus ac Reverendissimꝰ Dnꝰ
D. ANDREAS
STANISLAUS KOSTKA
Hæres in Załuskie, Okęcie, Kozietuły,
ZAŁUSKI,
Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPUS Cracoviensis,
DUX Severiæ,
Aquilæ Albæ Eques.
Studii Generalis Universit: Crac: Cancellarius,
meritis, & gloriosis facinoribus,
tam in Ecclesia DEI, quàm
in Orbe Lechico vocalissimus;
Ad hoc in obitu suo devenit honoris punctum,
ut Illi ipsa Fata immortalis gloriæ Mausoleum
ferreô suô elaboraverint Stylô,
Meruit

Meruit ſolennes in vita ſua plauſus ab omnibus,
Princeps Hic Celſiſſimus,
meretur & à fatis:
Cui licèt atrox Libitina ſua falce,
ſtamina præſcidit vitæ.
vivet tamen in memoria ſæculorum.
Non poteſt Hæc Poloniæ Fax inter Sepulchrales.
non ardere umbras,
Quam & meritorum altiq; Sanguinis claritas,
& Majorum nutriunt Ceræ.
non poteſt non coruſcare hoc illuſtre
primæ Magnitudinis Sidus,
cùm ſideribus connaturale ſit noctu magis ſplendeſcere
ſicut & adamanti in tenebris;
Qui & totâ vitâ ſuâ meritis floruit,
Illius Gloria nunquam marceſcere poteſt.
Quis quæſo actus Ejus? quem glorioſè non abſolveret.
quod opus? ex quo probus non noſceretur,
Liberalis in alios natura
in Principem hunc Celſiſsimum
Liberaliſsima,
omnes dotes Corporis & animi
in Illo repoſuit, ut ex utroq; videretur glorioſus,
& Thronô gloriæ dignus immortalis.
Loquere palam Mater Eccleſia?
loquere chariſsima Patria?
quid in Eo an, Patrem an Filium fueris experta,
ubi de Te Paternâ curâ & providentiâ motus
filiali obſequio major,
ingentes de Te cogitationes excitabat.
Nulla in annorum Illius decade crux erat

B in qua

in qua de adversis non triumphares,
nullus ætatis circulus,
qui Tibi non cederet in Coronam gloriæ
& Honoris.
Vixit Ille non annîs sed factîs:
Qui sicut meritîs suîs omnium excessit mentes,
ita æviternæ gloriæ sublime
Nomini suo exstruxit Augustale.
Plures Ille bono Publico impendit annos,
quàm sibi, & tantùm de omnium affectibus
meruit, quantùm multi optant pauci assequvuntur.
A primo in Senatum Polonum ingressu
continuus Illi erat motus, quies nulla;
Nunquam Illum ea quietum fecêre,
quæ egit, semper curabat, quæ majora
acturus esset, Orbi Lechico pro gloria & obsequio.
Multum Tibi debet Sarmaticus Orbis.
Illustrissima Załusciorum Domus,
quòd talem bono ejus publico
edidisti Principem,
Qui illius consulendo integritati,
totam vitam suam communi omnium utilitati.
ac saluti consecravit.
Crescit Tibi non tantùm ex Ejus meritis Honor,
verùm etiam inde; quòd tales pretiosas
in Alto sangvinis Tui mari habeas gemmas,
quæ non tantùm Patriæ in decus cedunt,
verùm & Cælesti inseri sunt dignæ Coronæ.
Non

Non ſola Lacæna,
fæcunda virorum genitrix dici meretur;
eò quòd maſculæ virtutis proferat Viros,
Antiquiſsima Veſtra Familia,
quia à Boleſlao I. Poloniæ Rege,
ſua primordia ducens,
à primis ſtatim ſuis incunabulis,
Magnorum Virorum Parens meruit,
nuncupari fæcundiſsima.
quòd non tantùm ſacros ad aras Divorum
Aarones,
ſed durîs enutritos bellîs Martes,
Invictos Scipiones.
imperterriti animi Leonidas.
Patrio ſine intermiſsione proferat Regno.
Regiam Solis,
aut potiùs Jovis Capitolini Ædem dicere fas eſt,
Illuſtriſsimam Domum Veſtram,
in qua Orbis Lechicus tot veneratur Joves,
quot inſigni ſapientia præditos Viros, ex quorum capitibus,
non una, ſed millenæ prodiere, prodeuntq; Minervæ,
Patriæ & Eccleſiæ in tutamen & præſidium.
Dantur alibi pretia raritati,
in Domo Veſtra ſelecta honorum frequentia,
ſua pretia habet.
Notum eſt toti Europæo Orbi,

Domui Veſtræ ſolitum fore,
à Purpuris ad trabeatos aſcenſum habere Honores.
Proprium Vobis eſt:
Illuſtriſsimi Nominis Majeſtate,
honorum augeri titulos virtute innata
illuſtrare Trabeas, ſummîs in Patriam meritîs,
elevare curules.
inſigni morum gravitate,
Dignitarios ornare & appretiare Faſces.
ſemper de Vobis majores ac majores certant honores.
& unius elevatio, eſt alterius gradus eminentiæ.
Nullus in Orbe Lechico reperitur Honor,
qui Vobis non famuletur,
nulla dignitas conſpicitur,
quæ à magnitudine animi non tantùm ſublimior,
verùm etiam Eminentior videatur.
Gentilitius Domus Veſtræ AGNUS
tam in Altum proceſsit gloriæ,
ut ipſa Aſtra, ipſum tangat Olympum.
In AGNO Veſtro
ſemper Honorum ſoles hoſpitari ſolent,
& in Domo Veſtra Illuſtriſsima
ſtationari.
Gemmis nativum adimeret valorem
qui protenſum encomiorum nexum
ab aureo AGNI Gentilitii vellere deductum,
Veſtris meritis non formaret.

Hunc

Hunc enim in Avito præſentatis ſtemmate,
A G N U M,
cujus Nomine ipſa Increatâ
Sapientia intitulatur,
Apparet inde:
quòd aliquid Divinum habeatis:
In Domo Veſtra Illuſtriſsima,
plures quàm olim in Capitolio Romano,
ſuperſtitioſa Antiquitas,
colebat & numerabat Deos,
dum graves ſuperciliô, aurei parentes ævi Saturnos,
facundos pro bono publico Mercurios,
& bellaces pro integritate legum
reproducitis Gradivos.
Recaleſcit ad Arietem Veſtrum
Libertatis Polonæ amor.
& nullibi meliùs,
quàm in Illius vellere fovetur.
Quód ſi Mantuano Vati habemus fidem dicenti,
Sic vos non vobis vellera fertis Oves
Quis ignorat?
quòd Gentilitius Domus Veſtræ AGNUS,
non ſibi auream producit lanam.
Habet ex Illius vellere
Senatus Purpuras, Ordo Equeſtris Togas,
Bellona ſagum: ipſa duntaxat ſcelera
pallium non habent.

C nam

nam ſignum virtutum & innocentiæ AGNUS.
Soli Patriæ ſe mitem oſtendit,
ſed hoſtili Bellonæ terribilem Leonem.
Frontem Ejus fortiſsimi metuunt Heròés
& tanquam timidi lepores in fugam aguntur.
Non unum pro Patria Hic ARIES ſuſtinuit impetum,
etſi Otthomanicam multoties arietaverit Portam,
nunquam tamen Ejus cornua vacillârunt,
Ex quibus, veriùs,
quàm ex fabuloſis Amaltheæ Cornucopiis
omnis in Rempublicam promanat felicitas,

Ab AGNO Hoc

quanta Patriæ procedit ſalus & præſidium,
id Viri Hujus Illuſtriſsimæ Familiæ,
vivô in ſe remonſtrant exemplô.
è Quorum Numero.
Primus mihi adorandus ſcriptoriô calamô venit
ILLUSTRISSIMUS DOMINUS

SPYTEK ZAŁVSKI,

Ravenſis SUCCAMERARIUS,
à Quo
prima Pervetuſtæ ZAŁVSCIORVM Domus,
procedit origo.
Eſt quid in Illo Sarmaticus miretur Orbis
Qui noſcens ſe à protegendo Cognomē habere
ita Patriam ab æſtu furoris Tartarorum defendit,
ut ſolus mille pericula ſufferre voluerit,
ne illa

ne illa aliquam pateretur ab hoste jacturam,
Partem ævi majorem
Hector Hic dexterrimus,
in Gradivi attrivit Castris,
Ferreîs bellicîs laboribûs suam sibi
ampliabat famam,
quam eò constantiùs retinuit,
quò operosiùs comparatam.
Inter ferrea Scytharum arma
probavit caput suum esse aurum optimum,
quod vel ideò Galea militari texit
ut haberet quô captivam Patriæ
redimeret libertatem;
quam ne omni destitutam præsidio redderet
Dignissimus SUCCAMERARIVS,
illi Germanos suos Fratres
STANISLAVM & MATHIAM
in subsidium reliquit;
Qui assumpto ab Eo Martiali heroico spiritu
tantùm pro Fide & Regno, pro Jove & Patria
gloriosè certârunt,
quantùm Illis
ad perennis gloriæ memoriam sufficeret
Eadem animi reluxit dexteritas in

ILLUSTRISSIMO DOMINO

LAVRENTIO ZAŁVSKI

POCILLATORE Ravenſi,
Quem illibata in Patriam amoris integritas,
ardens in Superos pietas
& intaminatus erga Cives Candor
omnibus ſæculis conſpicuum referunt,
& licèt vitæ Illius ſtamina
invida Atropos præcocî erupiſſet fatô,
mortalem tamen vitam quam vixit
æternâ perennaturi Nominis
gloriâ compenſavit.
Viget aduſq; Gloria & Honor
ILLUSTRISSIMI DOMINI

PETRI ZAŁVSKI

VEXILLIFERI Ravenſis
Cujus heroica virtus hoſtibus toties terribilis erat,
quoties militare ſignum elevabat.
Nunquam uberiùs probata Polonorum virtus
in publica bellantium arena
victrices colligebat palmas,
quàm præeunte inter hoſtiles phalanges
Polono Affricano Vexillifero.
Fluitantia ſigni ſui militaris,
quàm primùm laxabat vela,
protinus

protinus ad exoptatum certi triumphi
Polonum exercitum deduxit promontorium.
Ingemiſcere nefariumq; deplorare auſum
debuerant terræ alliſi audaces Enceladi,
Hoc Majeſtuoſo Jove
dexterâ ſuâ non vexillum,
ſed triſulcum fulmen manu tenente.
Principibus placuiſſe Viris, ſi laudis incrementum eſt.
Vir Hic non tantùm in Aulis Principum Epheſtio,
aſt & in Aula Sereniſſimæ ANNÆ,
Poloniarum Reginæ
primos merebatur favores.
Excellentiſſimis dotibus & qualitatibus florem
his Prolem ſuam ornavit, nimirùm
ALBERTUM, STEPHANUM, CHRISTOPHORUM
ABRAHAMUM & LAURENTIUM,
ZAŁVSCIOS.
Qui chariſſimi ſui Genitoris
glorioſa ſecuti veſtigia
innumerîs Orbem Polonum ornabant meritîs,
STEPHANUS ſui Nominis Corona
Eccleſiaſticis intentus curis.
non alia meditabatur, niſi Cæleſtia
ALBERTVS
GNESNENSIS CANONICVS
Canon omnis probitatis dicendus
ac Regula morum,
D dum

dum nullam diem omisit,
sinè linea meritorum.
ABRAHAMVS & LAVRENTIVS
redivivi pro Patriæ tuendo bono
apparuere Hectores,
cùm eandem ab adversis hostium defenderent procellis.
Domandi erant ferales Cosacorum ictus
uniendi discordes Civium animi,
salus Reipublicæ in integro servanda
domârunt, uniêrunt depresserunt
ipsô fortiores Caucasô comparentes.
Pari Majorum suorum processerunt semita
ILLUSTRISSIMI DOMINI
GREGORIVS, SIGISMVNDVS,
MICHAEL, ALEXANDER,
THOMAS, STANISLAVS
Z A Ł V S C I I.
Qui sub dio frigidoq; Jove exercitati
fulmen Hostium dici merebantur.
Heroum vestigiis insistentes,
pertinaci studio
hæc agere & audere contendebant,
quibus ad summa rerum pervenitur.
Pro Magnis quibus floruêre meritis,
Regia Gratia
V L A D I S L A I IV.
Poloniarum Monarchæ

Eosdem

Eoſdem ad Purpuras pertranſire voluit,
ſed humilis Illorum de ſe ſenſus.
has excelſas curules quæ parabantur
mereri maluerunt, quàm aliquando eas habere
Inclaruit tamen hic Purpuræ ſplendor,
In
ILLUSTRISSIMO olim *DOMINO*,
D. LAVRENTIO,
ZAŁVSKI,
CASTELLANO Goſtinenſi,
Dilectiſſimo PRINCIPIS olim Celſiſſimi ABAVO,
ad quam magnîs meritîs, & indefeſsîs
in bonum Commune laboribûs cùm devenerit.
eandem majori operum ornavit apparatu:
Certavit ſemper pro publico bono animoſiùs,
diſertiſſimum toties Arpinatem egit,
quoties ingentia Patriæ negotia expoſcebant.
millenis dignus titulis SENATOR Hic,
Optima ac ſana conſilia,
animam eſſe noverat Reipublicæ.
His continuò innixus,
tam in publico quàm in privato,
Oracula conſiliorum ſaluberrima pandens,
langventem non ſemel animavit Patriam,
ac placidæ reſtituit quieti.
Nullum vixit momentum,

quô monumentum gloriæ sibi non reliquerit
Nullus Illi præteriit mensis,
quô plenitudinem non auxisset meritorum.
Ubi frigidi consultantium fuerunt animi,
Hic Flamminium egit.
ad saniores sensus
Civium animos inflammando.
Auxit sibi majorem adhuc gloriam
Senator Hic dignissimus.
dum Ternionem Filiorum,
HIERONYMVM, STANISLAVM
& A L E X A N D R V M
Patriæ dedit in decus & tutamen,
Quorum gloriosos ad numerũ revocare Actus,
non unius esset pennæ opus
Meretur primos HIERONYMUS respectus,
Qui Abbatiali Vitoviensi cinctus Tyarâ
ita hunc inse deportavit honorem,
ut omnes ad sui traxerit amorem
Apparuit in Eo recta in regendo prudentia
in sufferendis publicis negotiis infracta fortitudo,
in adversis æquanimitas.
in perplexis omnis facilitas, quæ singula
acsi sidera dum Tytan suo mergitur Ponto, enituere.
Nulla illi major placuit indulgentia
quàm Aris assistere Superûm,
nullum dulcius solatium,
quàm Cultum & Honorem Dei promovere,
pro le-

pro legibus Ecclesiasticis strenuè decertare,
& nemini molestus esse.
Stat laus & honor adusq;
STANISLAI
PINCERNÆ Ravensis,
nec unquam elabi memoriâ potest,
qui quo advixit,
factîs heroicîs Patriam stabilivit;
quoties Geticas audentiori spiritu perstrinxit acies,
toties Othomanicas infregit portas,
& cùm ubiq; Victoris mereretur Nomen
cùm Illustrissima ANNA de LIPSCIIS,
Ravensi PALATINIDE,
GASPARUM Rogoviensem CAPITANEUM,
Illustrissimi solatium Connubii,
Paternæq; pulcherrimam gloriæ reliquit Coronam
Ornâsset diutius Pincerna Hic Dignissimus meritis,
Polonum Orbem
ni fati Ales
veluti alterum Ganimedem terris eripuisset,
ut Eum Cælo ipsi traderet in obsequium.
Vivit post fata superstes,
aureæ libertatis acerrimus Vindex,
Senatus Poloni oraculum,
ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS Dnus
ALEXANDER ZAŁUSKI
primò CASTELLANUS, post
E PALA-

PALATINVS Ravensis,
PRINCIPIS olim *CELSISSIMI*
dilectissimus AVUS.
Qui Diîs auspicibûs ac sidere fausto
datus Patriæ in decus & præsidium
non tantùm eandem fortiori ab hoste defendit manu,
verùm & prudenti juvabat consilio.
Laboravit semper pro Gentis Polonæ gloria,
pro Regni honore Macedone intensiùs,
nil tamen sibi ex lectis laboris stipendiis reliquit,
sed omnia communes Patriæ immolavit ad usus.
Multi sunt quos statim à teneris
in diversa trahit animus;
Heroica Viri hujus ad magna nata indoles,
non deliciis immergi, sed bellicis aduri ignibus,
gravari ferro, balteo cingi,
premi Galea,
durasq; ducere in cespite noctes,
mens semper erat, & virile intentum.
Hæc ipsa Senatoria Curulis,
quam optimus possidebat Senator,
non silet gloriosos ejus Actus, non silet oracula,
quæ pro communi pandebat bono.
Supremo Regni in Tribunali pluries
MARESCHALCVS,
semper Judex legum extitit peritissimus.
Ita ferebat sententias,
quales

quales ipſa Diva poſcebat Themis.
ita Judiciorum ponderabat ſtateram,
ut ſimul ageret à ſæculis ponderanda.
Cauſarum ita diſcutiebat momenta.
ut primam ſemper reſpiceret Cauſam.
Nil unquam decidit abſq; veritatis conſilio,
nil probavit, quod Cælum improbaret.
Acerrimus æquitatis Propugnator
proſtratam non ſemel erexit innocentiam.
depreſſit iniquitatem, propulſavit crimina,
omne damnavit nefas.
In Areopago illo conſtitutus
clausîs oculîs judicare arbitratus,
cùm nihil eundem conſangvinitatis ratio,
nihil interpellantium dignitas,
nihil amicorum movit amor,
ut ab æquo vel ungve ſaltim diſcederet.
Ne injurius æquitati videretur,
nihil ex proprio arbitrio
ſed ex lege, juxta jurium obloquentiam.
juxta antiquam praxim & conſvetudinem,
fieri debere omnia decernebat.
SENATOR ILLUSTRISSIMUS
Tullium pro Patria agens,
vocē ſuā ita bono publico conſonā redolebat,
ut Regias plerumq; delectaret aures,

 liberos

liberos animos in ſenſum ſuum traheret.
ac popularis auræ deſideria ſatiaret.
Tantis meritis celeberrimus
ad Hymenæi dum convolavit thædas.
ILLUSTRISSIMAM
CATHARINAM
de Olßoviis
CASTELLANIDAM Spicimirienſem
CELSISSIMI olim & *EXCELLENTISSIMI*
ANDREÆ OLSZOWSKI
Archiepiſcopi Gneſnenſis Regni Primatis
primiq; PRINCIPIS,
Viri de Republica & Eccleſia Dei emeritiſſimi,
Germanam Sororem in vitæ & thori ſociam aſſumpſit,
Cujus laudes & encomia revocare ad calculum
non brevis momenti,
ſed grande ſæculorum eſſet negotium.
Innuere ſatis eſto:
in ea natam eſſe Domo:
in qua Archiepiſcoporum Cruces, Senatorum Purpuræ.
Mareſchalcorum Scipiones, Præſulum Tyaræ,
ſuum poſuere domicilium.
Gemma hæc omni pretio nitens,
poſtquam innatis dotibus & virtutum fulgoribus,
ZALUSCIANAM illuminaverit DOMUM,
Cæleſti inſerta Coronæ.
Hâc de Concha,

prodi-

Evolat officiosa penna; in condigna elogia &
ILLUSTRISSIMO olim ac REVERENDISSIMO D.
MARTINO ZAŁVSKI,
Arbensi EPISCOPO, SUFFRAGANEO Plocensi,
Cujus liberale Nomen, non parcam dicendi
requirit eloquentiam.
Suffragabatur multorum egestati SUFFRAGANEUS,
nec ullam absq; munificentia omisit horam
ubi olim totam Tytus diem,
Zelozissimus Honoris Divini Cultor,
quantùm pro decore Ecclesiarum expenderit;
Plocensis Diæcesis illius enarrare
liberalitatem non sinet.
Splendent Divorum Aræ,
quas non tantùm fulgore auri illustrabat,
verùm etiam pio fidei illuminabat ardore.
Extendit se hic gloriæ nitor, in
ILLUSTRISSIMUM olim *HIERONYMUM*
ZAŁVSKI,
CASTELLANUM Ravensem,
Cujus gloriosa in Patriam merita,
aureô Plinii notari debent stylô.
Viva Martis cùm fuerit imago,
quoties cum hostibus Patriæ prælia inivit,
toties Victor, nunquam victus ex arena secessit Gradivi.
Sive ad Generalia Regni Comitia,

G sive

five ad Tribunal Regni fuerit

MARESCHALCVS,

ubiq; gloriofus apparuit, ubiq; dexter.

Inter militares copias cataphractus Annibal,

inter facras Themidis Ædes Lycurgus,

inter centuriata Regni comitia eloquentiâ Tullius,

confilió Fabius, ex utroq; animofus & prudens.

Militat fama perennis, Magno Heroi,

ILLUSTRISSIMO DOMINO FRANCISCO

ZAŁVSKI

PALATINO Płocenfi,

Qui Patriæ non femel adfuerat in adverfis Præfidium,

Nunquam tantam Parmenio erga Macedonem.

Zapyrus erga Darium,

quantam FRANCISCUS erga Regnum fidelitatem fervavit.

Ante affumptam Purpuram fæpe ad Generalia Comitia Regni,

Nuntius, fæpe Judex Deputatus, poft fupremus Tribunalis

MARESCHALCUS, ubiq; non illum Magiftratus,

fed Ille Magiftratum perfecit,

prudentiâ judiciô confummatus.

Hæc ipfa Senatoria Curulis

quam optimus poffidebat Senator,

in difertum Mercurium formata,

non filet ejus ingentia merita, non filet oracula,

quæ pro communi pandebat bono.

Omne illius verbum fapientius Lycurgô

effatum fuit, omne confilium apertum.

etiam ex tacente habuit, quod difceret Orbis.

Refonat

Resonat toto Lechico Orbe
vocalis Magni Nominis fama,
Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
ALEXANDRI, JOSEPHI,
ZAŁVSKI,
PALATINI Ravensis,
dignissimi PRINCIPIS olim Celsissimi Patris,
Qui sub Serenissimo ac Invictissimo
JOANNE III.
Poloniarum Rege,
cum Turcis ad Viennam pro integritate
Christiani Orbis heroicum opponens pectus,
ita hostium victricibus armis profudit sangvinem,
ut immarcescibiles Patriæ florerent laurus.
Personata hæc Intelligentia,
agitandis & expediendis magnarum rerum momentis,
seriò intenta nil unquam gessit, nisi pretiosum,
nihil est locuta, nisi gemmas
æternitatis annulo inserendas.
Vir consiliô magnus,
ingeniô sublimis, edecumatus prudentiâ,
judiciô profundus, animô adversis vinci,
prosperis efferri insolitô, generosus;
ut præcellentium dotum & virtutum
Universale subjectum diceretur.
Favore Numinũ in hæc tempora Patriæ datus,

quæq; difficillima, undiq; ruentibus malis aſpera,
diſcordiis Civium agitata
Conſo & Marte, ut medelā ferrent, indigebant.
Tollenda erat difficultas,
adverſis ſaluberrima remedia danda,
Civium rebellio ſedanda,
ſuſtulit, dedit, & ſedavit.
Quanta prodigia! difficultatem facilitavit activitate,
adverſis obicem poſuit prudentiâ,
diviſos animos conjunxit amore in Patriam,
& unus omnibus ſatisfecit.
In ſupremo Regni Tribunali MARESCHALCUS
hæc ex controverſiis formabat decreta
quæ ſenſui Divæ Aſtrææ conſona fuere.
Nemo æquilibrium illius,
à ſua averſum unquam videbat parte.
Cui Ille ſuam judicii interponebat bilancem.
Si quondam Magnus Macedo acinace,
unum Gordium ſecuit nodum
ALEXANDER ZAŁVSCIVS
quævis etiam intricatiſſima Patriæ negotia,
acumine mentis reſolvere ſcivit.
Ex illo habuit Polonia Druſum,
Senatus Fabium, Comitia Neſtorem,
Tribunalia Juſtinianum, Legationes Cyneam,
libertas Defenſorem, totus Sarmaticus Orbis,
fortiſſimum Atlantem.

Et

prodiere inæſtimabiles Regni uniones,
CELSISSIMUS S.R.I. PRINCEPS
ANDREAS CHRYSOSTOMVS
Z A Ł V S K I
primò Kijovienſis, poſt Plocenſis, mox Varmienſis
E P I S C O P V S,
Supremus Regni CANCELLARIUS
Cor Principum, Regum Amor, Eccleſiæ & Patriæ baſis dicendus.
quia quidquid egit, totum id ad bonum publicum diſponebat.
Diæceſis Kijovienſis
Hoc Digniſſimo Antiſtite,
tota in Libanum abiit, Plocenſis,
hucuſq; auro cedroq; digna ejus merita toti divulgat Orbi
Varmienſis Cathedra ſuo Paſtori in millena excurrit elogia.
quòd eandem ſano & prudenti ita rexerit conſilio,
prout Eccleſiæ honor expoſcebat.
Quis quœſo Hujus Præſulis, in Divinis non ſtupet vigilantiam?
Ne in Gregem Domini, rapaces irruiſſent lupi,
ne Jllius Ovile, venenoſi ſerpentes,
peſtiferâ alicujus nefandæ Hæreſeos inficerent labe,
ne Deorum Aris ſuus auferatur Cultus,
vigiles agendo curas,
& ſæpe inſomnes ducendo noctes,
pluſquam Centoculum peregit Argum.
Vim acus magneticæ occultam in ſe habere viſus,
Stellam Polarem,
& immobilem Deum Ipſum reſpiciens,
immobilis ipſe ad Jmmobile Numen;
vel Avium Reginæ Aquilæ imaginem præſeferebat,
F dum

dum ſemper Solem Juſtitiæ introſpexit.
Et cùm tantô arderet Cultûs Divini zelô
etiam chariſſimam Patriam,
quæ primum poſt Cælites debet habere locũ,
ferventiſſimo affectu, adamavit.
coluit, obſervavit.
Quot in eam beneficia contulit,
tot laudis ſuæ argumenta, perennibus faſtis inſcripſit,
in arduis rebus bono publico inſerviens,
non pro ſervili opere,
ſed pro maxima ſibi libertate reputabat.
Agitabantur Generalia Regni Comitia,
à quibus ſalus Regni
pax & omnium felicitas proſpiciebatur,
Ille pro Domo Patriæ eloquentiâ Demoſthenes
gravitate Neſtor, zelo Æneas, quidquid dixit,
condi poſcebat in paginas.
Vidit hanc animi excellentiam,
in Principe ANDREA,
Lechici Orbis pupilla, hoſtium terror,
SERENISSIMUS olim *ac INVICTISSIMUS*
JOANNES III.
POLONIARUM MONARCHA;
idcirco Eundem Supremum Regni fecit CANCELLARIUM,
quod munus quàm primùm in ſe ſuſcepit,
illico ita Præſul Hic digniſſimus pro ſupremis Majeſtatibꝰ
diſerto loquebatur ore.

ut nun-

ut nunquam pro se ipsis meliùs loquerentur.
Sigillô Regni gratias,
& sibi & aliis obsignavit.
Quot sigilla literis impressit,
tot apertissima fidelitatis suæ documenta exaravit,
Annulô, quem gessit, omnium affectus sibi desponsando.
Grata Patria non aureo tantùm Nomine
CHRYSOSTOMI,
sed ipsis aureîs ditata factîs,
quæ per publicas Legationes, ad Majestatem,
Hispaniarum Catholicam;
ad Christianissimum Galliarum Regem
LVDOVICVM,
ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum,
vi pactorum obstrictū, perq; alias functiones,
amore Patriæ susceptas, & gloriosè peractas,
relucent, nunquam tacebit Sui virtutem Cancellarii.
Est memor et erit tanti Præsulis ingenium
totus Sarmaticus Orbis,
quidquid enī à morte LUDOVICÆ Reginæ,
& abdicatione Regis
JOANNIS CASIMIRI,
Regum,
MICHAELIS I. & JOANNIS III.
de Actis heroicis, suis in Tomis scripsit, aliisq; Libris
aut Epistolis expressit,

acumen Cæleſte, & mentem Divinâ teſtantur.
Verùm quibus animi dotibus polluit
ANDREAS,
eaſdem videre liceat, & in
Illuſtriſſimo olim *&* *Reverendiſſimo* *Domino,*
LUDOVICO ZAŁUSKI,
Płocenſi EPISCOPO,
Principis olim Celſiſſimi altero PATRUO,
Vigilantiſſimus Hic Chriſti Ovium PASTOR,
Magnus SENATOR, non tantùm conſiliis Patriam
verùm & Eccleſiam juvans, Delphica
ſæpenumero oracula pandere videbatur,
Geminam annorum decadem in Paſtorali,
Diæceſis Płocenſis officio complens,
nullum anni prætermiſit circulum,
qui in auream Patriæ & Eccleſiæ
fortunæ rotam non ceſſiſſet.
MUNIFICENTISSIMUS MECÆNAS,
Hanc quam juſto labore congregavit fortunâ
in opem egenorum transfudit.
maximum ſe habere ratus theſaurum,
in manibus Indigentium.
Habuit ingens ex illo Patria ſolatium,
Senatus Gloriam & Honorem,
Eccleſia firmum præſidium,
Tota orphanorum turba Patrem,
ac Bonifacium ſingulariſſimum.
Evolat

Et cùm innumeris ornâsset meritis Patriam,
accumulavit majora decoribus decora,
Illustrissimæ Prosapiæ suæ,
per connubialia fœdera
cum Illustrissima THERESSIA
de POTKANSCIIS
PALATINA Ravensi,
Celsissimi olim Principis dilectissima Matre,
cujus laudes ut ad numerum revocari possint,
non unius Archimedis artificio utendum foret.
Jactet stellantem Leda Sobolem,
Cornelia Grachas,
Illustrissima ZAŁUSCIORUM Mater
has antiqui sæculi Deas
& felicium Genitricum ideas,
tam claritate excellentissimi Generis,
quàm Filiorum numero, quos fœcundo partu,
in Ecclesiæ & Patriæ præsidium peperit,
vicit, superavit.
En nova Ledæis Soboles
ipsis fulgentior apparet Astris, in
Illustrissimo Excellentis. & Reverendissimo Domino,
D. MARTINO ZAŁVSKI,
Episcopo Drasnensi, Decano & Suffraganeo Płocensi,
Infulato Pultoviensi Præposito,

Cathedræ Crac: Primicerio,
Supremo Regni Secretario.
Fratre Germano Celſiſſimi olim Principis dilectiſſimo,
Cujus glorioſa in Eccleſia DEI & Patria merita.
ſi in paginam revocarentur,
Orbis in folium abire deberet, Athenæ in bibliothecam
Habet ex Illo Płocenſis Cathedra alterum Solonem
Aſtræa redivivum Ariſtidem,
cujus quilibet progreſſus, in omnigena virtutis perfectione ſummus eſt.
Compar Parenti ſuo Alexandro Filius:
quidquid intra ſe erudita Capita volvunt,
quidquid in artibus optimè ſapit,
uno mentis codice complexus,
compendiatæ ſapientiæ epithome dicendus.
Acerrimus Cultûs Divini Zelator,
quantùm pro exſtruendis Eccleſiis expenderit,
facta Ejus loqvuntur;
Eſt memor & erit ſui Fundatoris,
Eccleſia Parochialis in Kobyłka,
quam non tantùm à fundamentis erexit,
verùm etiam pretioſa ſupellectili dotavit.
Hujus Gratiani ulteriora merita mente non revolvo,
cùm ſingulæ Ejus virtutes totas poſcunt Panegyres,
Ad Normam Fratris ſui MARTINI
cumulat famam Domûs ſuæ Illuſtriſſimæ,
factis ſuis faſtos & paginas implens,
Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus,
JOSEPHUS ANDREAS ZAŁUSKI,
primò

primò Supremus Regni Referendarius,
ad præſens
Epiſcopus Kijovienſis,
Abbas Fontanetti,
Principis olim Celſiſſimi Germanus Frater.
Quotquot ejus opera exquiſitiſſima luci & bono publico data,
legit Polonia, tot Bibliothecas habet,
In publicum bonum eviſceratus;
quidquid agit, plauſum ſæculi præſentis,
commendationem ſequentis meretur.
Caput illius verè admirandæ ſapientiæ ſedes,
limatiſſimorum ſenſuum promptuarium,
annominari poteſt,
dum nullus liber per Bibliothecas invenitur,
quem ſuo animo non comprehenderet
nulla ſcientia quæ in Eo ſuum non habeat locum.
Et licèt ſublimis ſit ingenio, non tamen elatus,
procul ab Eo omnis arrogantia, procul faſtus,
animi perverſi dolus à longe,
ſingulis ſe affabilẽ, ſingulis acceſſibilẽ reddens.
Auguſtum virtutum ſacrarium æquè appellari poteſt;
nam in Illo illibatæ mentis candor,
ſtupenda honeſtorum morum congeries,
æqui juſtiq; reverentia,
mentis pondus amabile,
boni communis incomparabilis amor,
pietas Divino cultui intenſiùs addicta,
ordine pulchro diſtincta cernuntur, adorantur.

 Nullum

Nullum publicum privatumq; reperitur consilium,
in quo Patriæ non bene consuleret,
Consilia Ejus minimè à rectitudine discrepant mentis,
hoc enim consulit & persvadet,
quod utile & proficuum esse advertit,
ubiq; integritatem boni publici promovendo,
dignitatem adaugendo,
ac bono communi providendo.
Attraxit in sui æstimationem pectus,
SERENISSIMI & INVICTISSIMI
AVGVSTI III,
Regis Poloniarum
dum Illius merita Pontificiâ Tiarâ Kijoviensi coronavit.
Faxint boni Superi JOSEPHO PRÆSULI, ut in hoc honore constitutus,
felicia sæcula vivat quàm diutissimè.
Accurrit ad computum gloriæ & honoris
Illus: JACOBUS ZAŁUSKI Sulcioviensis Capitaneus,
accurrunt multi longiori Syllabo recensendi,
Drochicenses, Zavichostenses Capitanei,
Magni Ducatûs Lithvaniæ Culinarum Præfecti
ZAŁVSCII,
meritis ac heroicis Actis Poloniam adornantes,
quorum distinctas enarrare laudes
brevis hæc non sufficit pagina.
Complent Gloriæ & Honoris ZAŁUSCIANI Decorem
Celsissimæ, Illustrissimæ Colligatæ Domus
Ducum RADZIVILIORVM,
Prin-

Principum JABŁONOVIORVM,
SOŁTYKIORUM, LESZCZYNIORUM,
KONIECPOLSCIORVM,
OSSOLINIORVM, ZAMOYSCIORVM,
LACKORONSCIORVM,
POTKANSCIORVM,
DZIAŁYNSCIORVM, OGINSCIORVM,
RADZIEIOWSCIORVM,
OLSZOWSCIORVM, DENHOFFORVM,
SZOŁDRSCIORVM, SZANIAVIORVM,
SIERAKOVIORVM, OPALENSCIORVM
KRASINSCIORVM, MASSALSCIORVM,
TARŁONVM, SZEMBEKORVM,
CHLEBOWSCIORUM,
ŁĘDCIORVM, PONINSCIORVM,
GŁEMBOCCIORUM,
DREVICCIORUM.
& Millena alia in utraq; tam Majori quàm Minori Polonia
Russia, primarum Familiarum Nomina.
Inter tot Colligatas Familias, ac Illustrissima
ZALVSCIANÆ Domûs decora,
prono mihi venit adorandus Cultu
Celsissimus olim PRINCEPS
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus
D. ANDREAS
STANISLAVS KOSTKA
Hæres in Załuskie, Okęcie, Kozietuły,
Z A Ł V S K I.

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPUS Cracoviensis DUX Severiæ
Eques Aquilæ Albæ
Studii Generalis Universitatis Cracoviensis
Cancellarius faventissimus.
Patriæ Pater, Ecclesiæ Fulcrum Monarcharum Delicium
cujus gloriosos actus, dum calamus mistâ cum lacrymis
sepiâ exarat, animum in mærorem,
cor in graves provocat singultus.
Qualis quantusq; fuerit PRINCEPS Celsissimus
ipsa Eundem merita toti Polono declarant Orbi.
Quidquid in Eo erat, virtus erat,
parũ ille ratus ab excelsa Genesis magnitudine,
Magnum & Nobilem esse,
ni rectefactorum eminentiâ, sublevaretur.
Et licet fatali Libitinæ dejectus ictu,
suo hodie cum stellis vespertinis succumbit occasui,
credendum tamen est:
quòd non est istius sideris Eclipsis, sed aux vera,
sed luminum concursus,
sed tota illuminatio in umbra mortis sine ũbra.
Maximis meritis tam in Ecclesia DEI quàm in Patria clarus
etiam inter umbras sepulchrales illustrissimus;
Quem invida minuere nequit Nemesis
cujus facta Orbe majora,
super fata faciunt Eum triumphare.
Nulla mentis ejus fuerat operatio,
quæ Authori rerum non placeret,
nullum verbum

quod

quod ad constructiònem optimæ vitæ non pertineret,
nullus incessus, ut non esset gravis in virtute.

Totus Ille in terris Cælo dignus vixit,
corpus si excipias (si tantum excipi poterit)
cùm fuerit in suis animi dotibus omni exceptione major,
vicit meritis famam, gloriam factis, hôc morte Superior
quòd vixerit tanquam moriturus.
Paruit quidem legi mortalitatis,
sed se prius iniquo oblivionis jure memorandis factis vindicavit.
Quod fuerat commune omnibus adimplevit moriens,
sed Patriæ & publico vivendo vixit commodo.
Ut post fata esset in Orbe superstes
meritis suis annales implevit,
ut in æterna memoria sæculorum esset
nil non dignum æternitate egit.
Non frustra Illi fata suô ferreô stylô
Immortalis gloriæ exstruunt Mausoleum
quia optimè nôrunt
quòd merita Principis hujus Celsissimi
ita in infinitum excrevere numerum,
ut non aliquo alio, quàm sola sint æternitate mensuranda.
Annos hujus Magni Præsulis ad tabulam non revoco,
singuli enim ejus anni, erant anni gratiæ,
dum singulis, innumeras favorum Ecclesia & Patria
numerabat aristas.
Nulla erat tam sterilis ejus ætas,
quâ, sub publico sole novi ei honoris
non maturesceret fructus.

Nullus menſis qui non Auguſtum, non Julium, id eſt ex utroq; Cæſarem illum non probaret.
Arborem Illum facilè dixeris;
ſi fructus aureos perpendas,
etiam nobiliorem,
dum in ea virtus omnia tranſcendebat.
Quidquid geſſit immortali dignum coronâ,
quidquid dixit oraculũ, tanquã os Ejus Tripos,
Caput Bibliotheca foret,
ut Eum ſæculorum clariùs loquerentur faſti,
mutis Magiſtris toto favebat animo.
Unde calamitas fati nulla in eo fuit,
quia hanc calamîs proſcripſit;
pietate in Deum, amore in Patriam
Pompilios Scævolasq; exæquavit,
unum cum illis ſentiens:
nempe ut Aræ ſociq; in tuto conſiſterent.
Verbo PRINCEPS Hic omni exceptione major,
tantum animum à teneris ſtatim exhibuit,
quantum Atlantes requirunt ut Orbem regant.
In prima ſtatim ætatis aurora
optima in Illo excelſarum probitatum eluxit indoles
dum illa tantùm tractare anhelabat
quæ grandævos Neſtores poſcunt.
Laboravit ſemper pro gloria Gentis
quivis Actus Ejus æternitatem ſapiebat,
quodvis opus immortalibus dignum fuerat inſcribi faſtis.
Heliconem non expetebat alienum, Domi Muſas habens.

Pro

Pro Scholastico Phæbo, prô Cleantheô lychno pro face Diogenis
AGNUS Gentilitius illi Lucerna fuit.
à duobus Præsulibus Sacris,
CHRYSOSTOMO & LUDOVICO
pientissimam institutionem Juventutis sumens,
ita sub illis brevi profecit,
ut etiam difficillima quæq; capacî suô ingeniô penetraret.
Nullus illum magìs sermo, nullus discursus meliùs delectare potuit,
quàm qui à DEO, de Pallade, vel bono publico habebatur,
corpore pusio, animo Vir, eminus cominusq;
à levibus abhorrebat, faceta respuebat contemnebat.
Post expedita domi studia ut ad gustum Regum saperet
FRANCISCUS Palatinus protunc Czerniechoviensis
dilectissimus Patruus
in Alavensi Regii PRINCIPIS JACOBI SOBIESCII Aula,
commodissimam Illi adinvenit Palæstram,
in qua politioris vitæ cùm didicerit mores,
ita suam expolivit juventam,
ut Serenissimum Principem
ad sui traxerit æstimationem, tantùmq; cordi adhæsit,
quantùm Epaminondæ Lysias, aut Agamemnoni Nestor.
Non latuerunt illius præclaræ in obscuro dotes;
sed radiorum instar per animos Procerum
diffusæ emicabant.
Vidisses alios in Aulis liberos negotiis, compotationibus immorari,
vidisses instar vespertilionum ad occasum solis volitare:
fugiebat Ille ejusmodi consvetudinem,
abhorrebat à perversa colluvie hominum,
nihilq; nisi solidis intentus rebus, ad Reipubl: commodum,
& Patriæ defensionem spectantibus cogitationibus,
summam integritatem, vitæ continentiam,
cum castimonia moderationem animi consectabatur.
Eminebat jam tum in eo ad præclara quævis animus excelsus,

Fervebat in pectore honesti, ac boni publici amor,
cupiebat avidiùs occasionem benemerendi de Patria,
quâ illas Illustrissimæ Prosapiæ ingenitas dotes,
illas generosissimo sanguini innatas virtutes
in amplissimum theatrum famæ produceret.
Et cùm jam in Aula Regii Principis didicerit honestè vivere,
placuit etiam illi exterorum mores discere Regnorum,
Noverat quòd magnificentiùs emicavit in Colchide Jason,
quàm inter domesticos Thessaliæ parietes.
nec solem continuus per Cælum infamat cursus.
Unde Italiam, Galliam, Lutetiam, Austriam invisit,
omnesq; qui virtutem sapuere peregrinos mores
sibi ostendit esse inquilinos.
Ibi maximis parem, & Majoribus majorem
se exteris præsentavit, & dum relicta
Aboriginum suorum mentis oculô respexit vestigia,
suæ virtutis gravem eis addidit decempedam,
ut augeret: non expers;
quòd lentescat cursus, cùm juventus malè decoquitur.
Noluit solo sangvine sed etiam virtute niti,
sibi ipsi persvasit;
Majorum facta colenda esse non Imagines.
Unde quotquot subintrabat Academias, quælibet
in ejus venerationem cadebat
quot quot veniebat in Regna
Rex animorum videbatur.
Sub diverso Gentium Nationumq; Polo,
eundem nativum servavit virtutis candorem,
atq; ita Exoticos lustravit Soles, ut illis lumen sua affuderit probitate.
Limites Regnorum transeundo,
nunquam ultra terminos & rectitudinis metam processit.

Alto

Alto ſangvine inſignis, virtute magnificus,
docto occupari labore, non inglorium duxit,
& niſi ſeriis negotiis incumbere novit.
Sublime ac planè Divinum nactus ingenium
hoc effecit: ut omnes ſcientiæ animo ejus germanæ fuerint,
ipſaq; ſapientia, tale in Eo domiciliũ adinvenit,
acſi Latio manſiſſet, vel Athenis.
Nulla in Philoſophicis contemplationibus,
tanta ſublimitas fuit,
quam excelſô animô non attigerit,
nulla tanta in abſtractionibus perplexitas,
quam felicî ingeniô non ſuperaverit.
Obfirmatô adverſùs omne arduum animô,
obversâq; contra torrentem difficillimi ingenii carinâ,
in mediis Eurippi anfractibus
perfectæ portum quæſivit ſcientiæ, & invenit.
Ex ſpinis Logicalibus
vernantis honoris & emeritæ laudis ſibi nectebat,
parabatq; Coronas
quæ ne unquam marceſcerent
vigorem dabat Eurippus Ariſtotelicus.
Non tantùm rationalis ſcientiæ fidelis fuit indagator,
verùm & Naturæ ſecretorum,
cùm de rebus diſcurrendo creatis
abſcondita à multis illarum arcana
exultiſſima ſagaciſſimæ mentis ſuæ acie
indagavit, penetravit, adaperuit.

Quidquid Hiſtoricorum calamus ſuis inſcripſit Faſtis,
capaci ſua complexus mente.
Quidquid Archimedes
de Cælorum circulatione annotavit,
velociſſimo ingenii adiit motu.
Quidquid Ptolomæus & Euclides
de orbis terraquei ſitu in Mappas deduxit
vel in volumina, compendiô tenuit
Æquè Philoſophus, æquè Tullius,
æquè in omnibus verſatiſſimus.
A naturalibus tandem ad ſuper naturalia,
à ſenſibilibus ad intelligibilia
felici proceſſit paſſu,
& finitis humanioribus ſcientiis,
Divinas tractare cæpit,
illi mentem ſuam conſecrando doctrinæ,
quæ nihil profanum, omne ſacrum omne Divinum amplectitur.
Medio Fidei lumine
quod religioſo fovebat corde,
Deum qui inacceſſibilem inhabitat lucem,
ad Thomiſticum explorabat ſolem,
Indiviſibilem Divinitatis unionem
in Aquinaticis undis ſedulo conamine exquirendo.
Nulla Thomiſticæ doctrinæ extitit ſumma
cui Ille pretium non ſuperadderet,
nullus articulus, quem non indigitaret,
nullum librorum folium quod Ille non carperet
ſuo Capiti in Coronam.

Docta

Docta cùm fuerit eruditæ Palladis progenies
ANDREAS,
æquo pollice cuncta vibrantē adamavit Astræā,
verus illius ac fidelis Cultor,
nam & ex asse illius sancitorū justus Defensor.
Stupuit Romana Pallas
ubi vidit:
quòd non ex ipsius Jovis Capite tantùm,
ast & ex ANDREÆ vertice iterum prodire posset,
si cunas repetere vellet.
Imò
ne tanti sudoris semina
justorum præmiorum carerent messe,
Laurus in coronamentum erudito Ejus excoluit Capiti,
gemmas sudoris, Doctoralibus applicavit Coronis,
Doctorem in Jure Utroq; promulgando,
Cessit itaq; Doctoralis laurea
ANDREÆ,
non quod illâ indigeret.
(Ipse sibi gloria, Ipse eruditorum Corona,)
sed ut monstrâsset Sarmaticum campum
non sterilem glebam esse,
ex quo Viri prodeunt, quorum tempora
nonnisi ad laureas, coronas, mitras, vel tiaras assurgunt.
Tanto Honoris Doctoralis insignitus decore,
vix redux in Poloniam, Patrios attigit limites,
illico sibi omnium corda in applausus excitavit,

Movit ad ſui deſideratiſſimum adventum affines in ſui amplexum, pares, in admirationé, obſequentiſſimos in venerationé, imò Ipſos Honores in ſui aſſecutionem ſtimulavit.

Inter hos ſalutatorios plauſus
applaudebat gloriæ Illius aureum CHRYSOSTOMI
& liliatum LUDOVICI Patruorum ejus Nomen,
dum uterq; ſuo eundem admoventes lateri
virtutem illius exactiſſimam altioribûs honoribûs
coronare curabant.

Multis meta, Illi primus ad dignitates Eccleſiaſticas gradus
Canonicatus Płocenſis fuit
à quo dum ad Canonicatum Cracovienſem proceſſit,
mox Pultovienſi Decanatui, Præpoſituræ Płocenſi,
Ducaliq; Siclunenſi titulo aſſociatus extitit.

Ad Tribunal Regni votô Perauguſti Capituli Cracovienſis
Judex Deputatus electus
quantùm pro juſtitia certavit
facta ejus loqvuntur.

Nunquàm illo præſente triumphavit iniquitas,
cùm nec illis parcebat ſceleribus,
quæ purpuras induunt, ut magnificentiùs peccent.
Omne illius de Jure allegatum, oraculum fuit,
omnis ſententia unius ſenſus cum Themide,
Habuit in corde Ejus oppreſſa innocentia
fortiſſimum propugnaculum
habuit gemmeæ mentis pondus, virtus;
ſola crimina Illum acerrimũ ſenſerunt vindicẽ
dum illa condemnabat.

Ex Tribunali Regni
vocatus ad Płocenſem Tiaram
favente

favente ſibi gratiâ
Sereniſſimi ac Invictiſſimi
A V G V S T I II.
Poloniarum REGIS,
portavit indefeſſîs hoc Epiſcopale humerîs onus
quod ſemper Atlantes poſcit,
quæ in tam arduo officio munia dantur,
promptiùs illa exequebatur, quàm poterant evenire.
Caput totius Diæceſis cùm fuerit;
irrequietè cogitabat, ſingulorum menti reſpondere.
Poſcebant Judicem Cauſæ,
protinus habuêre ANDREAM Ariſtidem.
Poſcebant Viſitatorem Eccleſiæ,
nunquam illis defuerat,
poſcebat Clerus reformationem,
adfuit illis Præſul hic Illuſtriſſimus Lydius lapis,
ſingula ad debitum Ordinem (qui eſt anima rerum)
reducendo, & juxta regulas recti diſponendo.
Irrigabat totã Plocenſẽ Diæceſim plenitudine ſapientiæ,
avellebat ſtolones, frugiferos ſurculos implorando.
Diæceſanam glorioſiſſimè celebrans Synodum
eas præſcripſit leges,
quæ bono Eccleſiæ eſſent proficuæ, & curæ animarum.
viſitabat Eccleſias vigilantiſſimus Paſtor,
non ſinè plauſu, non abſq; comitatu virtutum,
quidquid locutus, in oraculum abibat,
& quocunq; divertit,
Tripodẽ ſecũ ferebat, nihilq; non æſtimatione
dignum peragendo.

Enodandi erant magni difficultatum ſenſus,
enodavit Antiſtes ſapientiſſimus.
reſolvenda erant occurrentiũ perplexitatũ dubia, reſolvit:
porrigenda erant ſalubria in arduis conſilia
porrexit, ad omnium ſtuporem
ac debitam eruditionem.
Nil ejus animo magis jucundum & acceptabile fuit,
quàm dies, horas, quinimo momenta vitæ ſuæ
Divinis conſecrare rebus,
Libris Aſceticis commorari,
& devota mente in terris, ſupernis occupari negotiis.
Ne DEO ſacratus Myſtarum cætus,
in cultu Superûm decreſceret unquam,
Seminarium non tantùm à fundamentis erexit,
verùm etiam copioſa dote cumulavit
Orphanorum Pater
ſuccurrebat egenorum miſeriæ
dum Orphanotrophium pro educandis puellis
proprio ſumptu ædificavit.
Procancellarius Regni proclamatus,
Regem, Patriam, Libertatem, ſvaviſſimè quieſcere
ſecuriſſimè recumbere fecit in corde ſuo,
Ipſe ſolus in Regum, Procerum, Civium, populi cordibꝰ
recumbens, & affectibus.
Optimo ſucceſſu publica negotia omninò evenire debebant,
ad quæ pertractanda illius profunda mentis ſubtilitas,
veneranda omnibus authoritas, comitas
omnibus diligenda influebat.
Quis non miratur hujus Præſulis activitatem?
dum

dum Mars Sveticus in Poloniam ſæviit
extremam minando Urbibus, Oppidis, cladē,
quis hos rebelles pacificavit hoſtium tumultus
ANDREAS ZAŁVSCIVS,
Effecit hoc ſuo labore & Authoritate,
ut diſunita pectora coadunaret
diſcordiam è finibus Regni eliminaret,
deſperatam Patriæ pacem imò ſalutem reſtitueret.
Sacra Regia Majeſtas
Illius probatiſſimæ fidelitati
concrediderat avulſorum ex Oeconomiis Regiæ Menſæ
cognitionem in Commiſſione Breſtenſi Lithvaniæ
in qva peritiſſimus Præſes Regia vindicando Bona
ad priſtinum deduxit ſtatum.
Placuit hæc in ANDREA animi dexteritas & prudentia
Sereniſſimo olim AUGUSTO II. Regi
idcirco jam illum Cancellariū Regni elegiſſet.
ni præveniens fatum Regia vota diſtuliſſet
Perfecit tamen Paterna vota
Sereniſſimus ad præſens Regni Gubernia tenens
A V G V S T V S III.
Poloniarum Rex
Patre Magno non minor Filius
Qui
Rectefactorum Illius rationem perpendens
CANCELLARIUM Regni conſtituit,

M post

post Plocensem, Luceoriensẽ, mox Culmensẽ
Episcopatum obtulit.
ut magna merita Ejus magnîs coronâsset titulîs,
CANCELLARIUS Regni factus;
non sibi sed communi Reipub: vixit bono.
Curavit adhibere ea omnia quæ illum posteris sæculis
commendabilem redderent,
nimirum:
animi rectitudinem,
legum & justitiæ observantiam,
Nominis Poloni apud Exteros commendationẽ
securitatis publicæ curam, Eloquentiæ triumphum,
insomnem in munere vigilantiam
& meritorum Coronam.
Inter curialia negotia, sinè noxa versari,
curis ingentibus sinè fastidio persungi,
discutiendis causarum perplexitatibus sinè tædio assidere,
Regii cordis intima sinè animi fastu intelligere,
Heroicum semper putavit, & implevit.
Senator dignissimus,
pro veritate & justitia zelare,
pro Majestate Regum proq; bono publico sincerè loqui,
pro libertate & integritate legum Patriæ certare,
laudabile semper censuit,
In publico Nobilium Consessu,
disertum egit Cineam, vel ignes dicentem Isocratem,
ubi frigidiores in publicum mentes
matura persvasit deliberatio.

Inter

Inter Stoicos Ethicè, inter Cives Patriæ Politicè
inter Christianos Orthodoxè, inter Spirituales exemplariter,
inter pares familiariter vivens,
in veritate candidus, in varietate nullus,
in virtute extiterat omnis.
Ab his animi dotibus, statorem suum fatebatur Polonia,
Ecclesia Numam sub ritu solemni illum coluit,
Cives fulcrum adamantinum adorabant,
quia in Illo habuêre suum columen, & præsidium.
Lingvarum ferè omnium idiomata novit,
lingvam tamen non movit in excessum,
sed interprete quadam secùs ac vate,
cordium intus latentia scrutabatur.
Os & pectus Illius, Cyrrhæ dicerem domiciliũ,
ni sanctiora oracula sapientibus etiam copiosè funderet,
ut ad majorem Dei Cultum moverentur.
Quis referet quot secum solatia quot gratias tulit
Luceoriensi ac Culmensi Diæcesi
ANDREAS ZAŁVSCIVS?
ut Gloria DEI & Honor magìs ac magìs augeretur
collabentes Ecclesias restauravit, Clerum numerosiorem adauxit
erroribus & pravitate Hæretica purgavit,
inobsoletis sacrorum Ritibus emundavit;
Verbô, omnia exactè, omnia gloriosè expedivit.
Nulla oris ubertas exprimet,
quos vigilantissimus hic Pastor & Visitator tulit labores,
quot toleravit inquietudines,
gravia quidem illi aliqua erant, vicit tamen omnia unus.
Religiosus Illius fervor,
fomes erat aliorũ virtutis & cordis incendiũ,
 ita

ita tamen delectabile;
ut eô cremari & exuri,
non fuerit tortura ullius Perilli, sed voluptas.
Zelus Divini Honoris, quantus in Illo erat,
vel ipsa fama publica
Stygiam impietatem Hæresiarcharum Thorunensium
feriens & confundens per verbum quidem non licet:
Brevi Apostolico Summi Pontificis, olim
BENEDICTI XIII.
expressa, sed Summis ab Eodem celebrata laudibus
totum diffusa per Orbem testatur.
Unica supererat ferrô expianda nefandorum Cyclopum
(Thorunenses Hæreticos intelligo)
mota contra Cælum rebellio,
tot nimirum digna mortibus
quot per blasphemiæ ictus Divûm honori inflixit vulnera.
Expectabantur vindices Cælorum iræ, & irati cum tonitru Joves;
ast adfuit pro Jove Tonans ANDREAS,
Qui Vice-Præsidentem in illa Commissione agens
vibrato in Phlogræos fratres justi rigoris fulmine,
execrabile abolevit nefas,
documentum Gentibus daturus
inter septemtrionales nives, non deesse zeli Divini flammam,
qua magnanima Procerum Poloniæ
corda succendantur.
Post tantũ Heroicũ Actũ sæculis memorandũ
ultro se Capiti ejus Cracoviensis obtulit Infula
cui quamprimùm suum submisit Caput
protinùs ita protracta metiebatur lustra,
ut me-

ut meritorum claritate redderet illuſtria.
Egregius Divini Gregis Ductor ANDREAS,
commiſſas curæ ſuæ paſcere non deſiit oves,
non communi pabulo ſed doctrinâ & exemplô.
ſatis pervigil Paſtor;
cùm & Gentilitium Arietem in Cuſtodem ovium,
ne à ſemita recta deviarent immolaverit.
Solis naturam imitatus PRINCEPS Hic Celſiſſimus
qui dum in meridie ſiſtit, magis fervet & lucet.
Ille in Apogæum Vavellani eluctatus Honoris
nitidiores virtutum indies ſpargebat radios.
Adeò mens ejus religioſa pietate Cælo appropinquaverat,
acſi nihil terræ intereſſet, præter Corpus.
Templa Diis ſacrata
quô animô, qua ſolicitudine, quo labore viſitabat
tota Diæceſis fidele teſtimonium præbet.
Jupiter Omnipotens,
ſemel tantùm in Midæ avari laribus hoſpes, viſitator
domum quam incoluit auream effecit;
Paſtor Hic vigilantiſſimus,
in Eccleſiarum Parochialium viſitatione,
tot annos emenſus
quoties eas viſitavit, toties aureas effecit
Spiritu Domini plenus,
antiquarum legum rigorem & vigorem
in illis conſervando, Cultum Superûm promovendo
cuncta in pietate DEI & proximi charitate ſolidando.

Ut vinea CHRISTI multis & doctis abundaret Operariis,
diligenti attendebat animo;
neminem ad Sacros Ordines accedere voluit,
quem morum elegantiâ, innocentis vitæ probitate,
& doctrinæ tandem sufficientis decore
circumornatum non videret.
Multi sunt, quos moles curarum terret,
qui è vestigio hærent, dum ad Gordios nodos,
& ænigmata negotiorum veniunt,
Principi huic Celsissimo,
Consilio & Auctoritate bonũ publicũ juvare,
bonos promovere, pro Ecclesia certare
dulcissimus fuit labor,
tamq; facilis, quam exequibilis.
Testes sunt horum omnium tot publica munia,
tot Commissiones, tot Regni negotia quæ cum omnium stupore
per Illum gloriosissimè sunt gesta, & expedita.
Satis honoris sibi accumulavit apud
Serenissimum ac Invictissimum
AVGVSTVM III.
Poloniarum Monarcham
ZAŁVSCIVS,
dum Illum dignissimum ordinaverit, ut inter
Serenissimum Bavariæ Electorem
Regiamq; suam Filiam
Matrimonialia Connubia

Sacra

Sacra benedictione & assistentiâ compleret.
Quam altum de sublimitate virtutis Ejus sensū
Magni Proceres
publicis probaverunt gratiîs
tam sublimem omnes status Reipublicæ
de Illo conceperunt opinionem
in Comitiis olim Generalibus Regni Grodnensibus,
dum Illum Legum Novarum Dictatorem
antiquarum Correctorem
cum plausu omnium Ordinum elegerunt.
Molestabat tantus labor Principem hunc dignissimum
non tamen in commissis sibi functionibus
manum de tabula subtraxit
donec ad finem debitum reduxerit.
In Purpurato Patrum Senatu
hoc fulminante Pericle,
pallere Clodios, exspirare Caligulas necesse erat.
Aureo oris disertissimi torque
aliorum sensus, in suos traxit,
& publicis negotiis tulit meliores.
Nec Nestor Agamemnoni, nec Demosthenes Alexandro
tam utilem præstitit svadam,
quàm Præsul hic sapientissimus
bono Reipublicæ devovit.
Nullus inter Cives Patriæ Civis erat,
quem Ille melleo eloquentiæ non emolliret nectare,
& Cor in partem boni publici, aureâ oris non flecteret catenâ.
Verborū illius pondus, gravibus correspondebat negotiis,

 quæ re-

quæ rebus difficillimis implicata
ut in fortunatiorem manuducerentur eventũ.
Ariadneum dictionis & rationũ filũ à Præſule
ZAŁVSCIO habuere.
In Radomienſi Sacrario Juris Præſidem agens,
æquè judicabat; ſtipendia Militum promovendo,
injuriam populi amovendo, obortas lacrymarum nube facies,
Pompilio clariùs, exoptato ſerenabat ſucceſſu.
Æſtimabat probitatem, contemnebat ſcelus,
coronabat gloriam, æquitati non injurius,
grande piaculum putans,
ſi aut virtus deformem, aut vitium formoſam gerat faciem,
& utraq; parî titulô foveantur.
Cúm alii certarent pro privato, Hic pro publico,
cùm alii in partes diverſas agitarentur,
Ille integritatem boni communis obſervabat.
Prima ipſi cura fuit
inter obſequia Regni, & negotia Regalium Majeſtatum verſari,
ad quæ pertractanda vivido accedens ſpiritu
ſemper eadem maſculô expedivit animô,
Pietas hoſpes in aliis,
apud hunc Principem domeſtica virtus
tantùm ſibi de illius reſpectu meruit,
ut eandem omnibus curis & actionibus præponeret.
At quemadmodum non una ſtella Cælos,
ſic Illum non una duntaxat commendabat virtus.
Præter pietatem ſic Clementia illi inviſcerata erat,
ut penè in naturam tranſiviſſe videretur.
Tonare

Tonare lingvâ fulminare ore,
corrugare ſupercilium non illius mos erat,
tam procul hoc à vultu Principis remotum,
quàm ab animo alienum.
Idcirco:
proſcripſit ex præcordiis furorem,
eliminavit iras,
cum omnibus benevolè, cũ ſingulis Paternè procedendo.
Quàm amabile & beneficum fuerit ſidus
illi nôrunt, qui lenitatem ejus experti,
toti in amorem Ipſius etiam poſt fata rapiuntur.
Virtutum Ilias cum fuerit,
innatam benignitatem authoritate,
modeſtiam gravitate, clementiam juſtitia temperabat,
omnibus jucundus, omnibus conceſſibilis
nemini non affabilis.
Nulli illi unquam fuere gratiores, quam ingrati,
nulli propius ad illum accedebant,
quàm qui longè ab Eo animô diſtabant,
nullæ vices jucundiores, quàm odii non redolere vices.
Subditorum injurias nunquam non ægra tulit mente,
quorum Pater, non Dominus erat.
Totam in laboribus duxerat vitam,
ſancta fide firmatam, probitate exornatam,
ſicq; æternaturam poſteris tradidit ad memoriam.
Magnæ virtuti Magni Præſulis
etiam corporis ædem decentiſſima in natura formaverat.
Facies ejus decora & amabilis.
O Maje-

Majeſtatis ſimul & lenitatis pleniſſima,
identidemq; verecundiæ pulcherrimo roſeto purpuraſcens,
magnam intuentibus gratiam magnam clementiam aſpirabat.
Oculi hilares ſereniq;
abſq; omni rigido ſupercilio,
omnis pietatis manſvetudinis, internæq; puritatis
radiis emicabant. Os facundiæ comitatisq; ſedes,
etiam cum vitia argueret dulceſcebat, amabaturq;
Staturæ eximium decus,
motusq; Corporis ubiq; gravis ubiq; maturus,
veluti ex religioſæ diſciplinæ legibus compoſitus,
magnam optimi Exempli materiem,
magnum excitandæ pietatis fomitem præferebat.
DVX Severiæ ANDREAS.
non ſeverus ſed in omnes benevolentiſſimus;
per benevolentiæ ſuæ vigorem, ſæpius juſtitiæ temperabat rigorem,
apud quem nihil fuit ſingularius,
quàm fundata in ratione benignitas.
Novit quòd Principe magnanimo minor eſt injuria quævis,
illud monitum Politici, memoria ſemper tenuit,
Vires non experiare nocendo qui Princeps vis eſſe diu.
Unde in Tribunali Severienſi judicans,
neminem injuriîs,
quemlibet beneficiîs oppugnabat.
Scivit quod ſit indecorum & inhumanũ iraſci,
ideò non ſenſit injurias, nec intulit,
ſcivit quàm ſit immane improbumq; ulciſci,
ideò non reddidit vindictas.
Apud alios non lucem tantũ, ſed & ignem habet Purpura,
apud PRINCIPEM Hunc CELSISSIMUM,
tantum

tantùm venuſtatis habuit Trabea,
quantùm decoris clementia.
Sub Illo ab aliquot Annis ſepulta Judicii terreſtris
in Ducatu Severienſi reſuſcitata Juſtitia
ad quam reaſſumendam Judices Terreſtres conſtituit,
ut omnibus daretur Campus ſuas deponere quærimonias.
Ne ex ſua incuria,
aliqua ſaluti publicæ fieret injuria,
vigilantiſſimum ſemper agens Euthyadem,
hoc faciebat, quod publica perſvadebant commoda
quod miſeranda rogabant diſcrimina vulgi.
Et cùm omnibus affabilis fuiſſet,
ita ſingulos mira humanitate ſua proſecutus eſt,
ut meritò dubitetur an in mundo hominem egiſſet,
an humanum quoddam erga homines Numen.
Haud enim hominis eſt
ita eſſe dignitate ſummum,
ut infimis humanitate inveniatur æqualis.
Habuit in Eo Reſpublica Polona quod amaret & veneraretur,
habuit laudis & gloriæ appetens Patriæ Civis
quod imitaretur & coleret,
habuit Curia, Patria, Eccleſia & omnes aliij ſtatus,
quod laudarent, & ſuſpicerent.
Magnus Literarum & Literatorum æſtimator,
Princeps Hic ſapientiſſimus
tanto erga Viros Eruditos ferebatur amore,
ut illi nil amænius fuiſſet quàm cum Illis
verſari, & doctis intereſſe Eorum diſcurſibus.
Tunc illi ſumma quies erat

cùm ſonarent Porticus, & ſtoæ ſophorum,
tunc jucundus conſeſſus,
menſa feſtiva,
cùm non deeſſent ſales eruditi.
Sylveſtres aliis placent ad menſas, Illi docti arriſerunt lepores,
Inter graves negotiorum curas nullam intermiſit horam,
quâ cum Literatis aut de Literatis loqueretur,
rem magni exiſtimans amiſiſſe momenti.
Viros eruditâ virtute præſtantes,
arrectîs non audîſſe auribûs. (vit.
In Varſavienſẽ Bibliothecã ingentes profudit ſumptꝰ, & magnificè funda-
ut commodo & utilitati Patriæ deſerviret,
ut haberet Polonia quô generoſiſſimas paſceret mentes.
Sed non hic adhuc laudum digniſſimi PRINCIPIS Coronis,
quia nec meta rectè agendorum.
Meretur ampliores Apotheoſes,
qui nil non dignum inſignî elogiô peragere ſvevit.
Procedebat ſemper graviori de virtute in virtutem paſſu,
nullaq; fuit probitas, quæ in Illo non fulſiſſet,
Quodſi actiones Ejus meliùs quis perpenderit,
videbit in operando prudentiam, in regendo judicium,
quæ ſingula recenſere ac in compendiũ vocare,
non unius Oratoris labor eſt.
Munificentiſſimus Mecœnas
fluxa bona non amavit, niſi ut fluerent
& mox ùt intrârunt, exirent in ſubſidium egeſtatis.
Effuſus liberalitate in omnes,
quò munificentiores mendicantibus largiebatur dotes,
eò beatiorem ſibi adauxiſſe ſortem opinabatur.
Non ille divitias nigricantibus abdidit antris,
Non

Non tenebris damnavit opes,
ſed largior imbre
ſveverat innumeras hominum ditare catervas
Volupe Illi erat omnibus benefacere,
id pro principali reputabat,
omnium ſubvenire inopiæ,
ac intelligere ſuper egenum & pauperem.
ſtabat atriis Illius affuſa miſerorum multitudo,
nec diu eam ſtare ad propria permiſit limina,
facillimam ad aures admiſſionem exhibuit,
ab auribus in cor clementiâ pleniſſimum.
Ærarium hujus PRINCIPIS
apertus ſemper erat communi indigentiæ theſaurus,
Ex AGNO Ejus GENTILITIO,
(qui aurea fortunæ vellera gerit)
procedebant in pauperes amictus, in egenos chlamydes,
Opibus Ipſius
ditabatur egeſtas,
alebantur Noſocomia,
totusq; pupillorum cætus ſuſtentabatur.
Seminarii Academico Diæceſani
FVNDATOR,
non tantùm illud ad decorem totius Diæceſis
majoremq; Divinum Cultum,
à fundamentis exſtruxit,
verùm & ſatìs proventibus auxit,
P Peren-

Perennabit Principis hujus munificentiſſimi memoria, in cordibus alumnorum, ac ad ſtatū ſpirituale aſpirantiū, nulloq; delebitur cum tempore, nullis effluet cum ſæculis, cùm Illius Nomen Academicæ Muſæ, ſemper vetabunt mori.

Ipſi muti de parietibus lapides
magnificè erecti ac proviſi,
illius munificentiam loquentur,
ſuumq; FUNDATOREM non deſinent enarrare.

Jam igitur
Academica Pallas
ex herba gratitudinis ſuæ
nectit immortalis Gloriæ Coronam
ZAŁVSCIO,
pariter Protectori ac Fūdatori ſuo obligatiſſimo.

Pridem quidem ſcholaſtici calami
Gratioſiſſimum ANDREAM,
immortalibus inſcripſere faſtis,
Univerſitas Cracovienſis,
munificentiam PRINCIPIS Hujus & patrocinium,
tunc nonniſi ſcribere & deprædicare deſinet,
quando deſinet & Orbis.

Inter hæc liberalitatis Mecænatis hujus documenta,
quanto Erga ſuperos flagravit amore,
teſtantur id Sacræ Divûm Ædes,
aliæ ſplendidis decoribus ornatæ,
aliæ ut Phænices de cineribus formoſiores evolando,
quotidianas laudes

Reſuſci-

Resuscitatori decantant & decantabunt ANDREÆ.
Non cessabit condignis celebrare elogiis suum Pastorem
Coronatrix Regum Cracovia
quam per exportatas quadraginta horarum Indulgentias
à Sanctissimo olim BENEDICTO XIV.
Summo Pontifice,
non tantùm ad pios devotionis accendit actus
verùm & Ipse pientissimo præibat exemplo,
sanctas visitando tam intra quàm extra
mænia Urbes Ecclesias.
quas Ascetico incolebat spiritu,
& sanctis replebat suspiriis.
Innotuit tam optimè hujus ANTISTITIS
circa bonum Ordinem Ecclesiæ cura & solicitudo
singulis Decanatibus Diæcesis Cracoviensis,
maximè per intimatum Processum ad celebrandam
Generalem Cracoviæ Synodum,
quæ gloriosissimè expedita fuisset,
ni fata vitam Principis breviâssent.
Utinam ad vota omnium vixisset diutiùs sinè exitu vitæ
PRINCEPS ANDREAS
quā semper optima agendo, beneficia largiendo inchoabat
quotquot heroicos reliquit actus, tot perennaturæ famæ documenta.
Hinc jam
ad Sarcophagum PRINCIPIS
Z A Ł V S C I I.
Plangeret suum Patria Patrem, defleret Religio Defensorem,
Senatorem Curia, vindicem libertas, pupilli Tutorem,
Seminarium Academico Diæcesanum

munificentiſſimum FUNDATOREM,
ni optimè ſciret: quod
PRINCEPS ZAŁVSCIVS
abiit tantùm ex oculis, non obiit
& poſt tanta molimina rerum quæ fecit reſpiravit
non exſpiravit,
labores tantùm temporales, non vitam finivit
Non eſt mortuus PRINCEPS Hic Celſiſſimus,
ſed ſe ſublunaribus ſubtraxit conſortiis,
& dum diem ultimum terminavit, æternitatẽ inchoavit.
Immo quomodo mori potuit, qui probitati ſemper
vitiis nunquam vitam ſuam dedit.
Eminebat Ille meritis ſinè faſtu, quod rariſſimum eſt,
vixit ſinè querela quod ſanctum,
certabat pro bono Patriæ & Eccleſiæ ſinè viciſſitudine, quod mirum,
tam in ſplendore actionum immortalium
quàm in umbris terminalis vitæ Illuſtriſſimus,
in perennem operum immortalium vel inde abiit hiſtoriã,
quia Illi ipſa fata Mauſoleum immortalis gloriæ
ferreô ſuô ſtylo exſtruxerunt.
Sic decuit PRINCIPEM Hunc immortalem reddi à fatis
dum nihil invita egerit, quot non eſſet perenni dignum memoria.
Si illi fata applaudunt, juſtum eſt; quia probiſſimo,
quòd eundem faſtis immortalibus inſcripſere ſtylô ferreô,
quia emeritiſſimum,
quòd Coronâ æternitatis donavere:
quia digniſſimum, quia ſapientiſſimum.
Jam nunc per fata PRÆSULUM unio ANDREAS,
rediit ad annulum æternitatis
jam reverſus ad Coronam Sanctorum
pretio-

pretiosus Ecclesiæ lapis,
jam receptus JUNOSSIUS inter sidera AGNUS,
& licèt vita temporali privetur, vivet tamen
vitâ meliori, quia æterna.
Non potest de Libro viventium deleri
PRINCEPS Hic CELSISSIMVS,
Qui id toto vitæ suæ tractu unicè curabat
ut in omnium affectibus semper perennaret.
Valuit authoritate Domi, foris Procerū ita adhæsit cordi
ut ubiq; gloriâ singulos excelleret.
Exemplar futurus posteris, nisi ea exhibuisset vivens
quæ imitari vix audebunt summi, & maximi.
Vixit Patriæ decori,
Ecclesiæ fulcro,
Musarum commodis, clientum usibus.
etiam omnium amori vult & post sua vivere fata.
Idcircò:
In Tuo primò cupit perennare corde
Illustrissime, Excellentissime, & Reverendissime D.
D. VENCESLAE HIERONYME
De Bogusławice
SIERAKOWSKI.
ARCHIEPISCOPE Nominate LEOPOLIENSIS,
& qui vivus nexu sanguinis Tibi junctus erat,
etiam post fata á Te disjungi non vult,
ultimæ voluntatis suæ te Protectorem eligendo.
Novit Ille Tuas, multumq; æstimavit,
solicitas pro Bono Patriæ & Ecclesiæ curas,
ideo se Tibi sortesq; relictas

committere voluit disponendas.
Præbuit Tibi Cor vivens & voluntatem ultimam sui,
procertò sciens, quòd non sines
Animam ejus in cinere oblivionis manere.
Eundem etiam post sua fata à Vobis exposcit amorem,
quem vivo PRÆSULI præstabatis
Perillustres & Reverendissimi Domini
D. JOSEPHE GORZENSKI,
Ecclesiarum Cathedralium Cracoviensis,
Posnaniensis CANONICE,
Insignis Collegiatæ Pilecensis
P R Æ P O S I T E,
& Officialis Perpetue,
Celsissimi olim PRINCIPIS EPISCOPI Cracoviensis,
C A N C E L L A R I E.
D. ANDREA MŁODZIEIOWSKI
CANONICE Gnesnensis & Cracoviensis,
Archidiacone Pszczoviensis & Insignis Coll: Varsaviensis
Canonice, quondam Præsulis ZALUSCII,
ad præsens
Celsissimi Illustrissimi PRIMATIS Regni Poloniæ
Archiepiscopi Gnesnensis AUDITOR,
ultimæ voluntatis PRINCIPIS Defuncti
Mæstissimi Executores:
Assumpserat Vos Ille Curiæ suæ in decus,
in curarum Adjutores,
meritis, virtutibûs & illibatâ conscientiâ commendabiles,
tales

tales nimirum:
in quibus lynceus Argi oculus,
nil ſiniſtri videre & ſuſpicari valeret.
Appretiavit Vos multum ſuperſtes,
nunc ad mortalitatis ſuæ Exuvias
in Archivo cordis Veſtri locari exambit.
Ultimum velle Veſtris reddidit manibus
quibus totam in ante devoverat mentem.
Maxima in animo ſolatia habuit
PRINCEPS hic Celſiſſimus
quod vobis ſingula pertractanda concredidit negotia,
& Quos Cooperatores, quorumvis negotiorum habuit,
Eoſdem ſuos poſt funera voluit eſſe Præſtites.
Nec ſupponite
Perilluſtres & Reverendiſſimi Domini:
quòd mors Eundem ſeparaverit à Vobis,
Qui vivens erat Veſtrum unum cor & anima.
nec mortuus deſinet
pro Domo veſtra eſſe inter Superos Orator.
Immo:
& omniū noſtrū immemor eſſe non poterit
qui vivens Paterno omnes fovebat in ſinu.



INSCRIPTIO
Sepulchralis Mauſolei,
CELSISSIMI olim PRINCIPIS.

D. O. M.

Siste gressum Viator!

perpende Fatorum artificium,
quâ arte, Mausolei hujus est facies exstructa;
Oedipum non quære, ut ænigma solvat
Quid in Illo depositum sit?
Nôris optimè:
quòd mors inæstimabile Patriæ & Ecclesiæ Clenodium,
PRÆSULUM Gemmam in eo incluserit.
Gemma hæc est;
Celsissimus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus
D. ANDREAS STANISLAUS KOSTKA
Comes in Załuskie, Okęcie, Koziętuły
ZAŁUSKI.
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ EPISCOPUS Cracov:
DUX Severiæ, EQUES AQUILÆ ALBÆ,
cui illibata virtus candorem, morum gravitas pondus,
virtutum & meritorum numerus pretium dedit.
Originem illius ne scruteris,
ex Nativo illa ZAŁUSCIANI sanguinis profluxit mari,
cujus valor ad primarios Regni ita se extendit Proceres,
ut à Serenissimis ac Invictissimis Majestatibus
AUGUSTO olim II. & AUGUSTO III. ad præsens
REGE POLONIARUM,
amari, honorari, æstimari meruerit.
Non profer hìc in medium Cleopatræ gemmam,
nam & hæc in Corona Regni existens
Regnum sua appretiabat virtute
Dolet Polonia & Ecclesia amissam Die 16. Xbris. Anno 1758.
Tu pie Lector spem firmam concipe
quòd annulo æternitatis sit inserta
Hæc Gemma Præsulum Princeps ZAŁUSCIUS.